



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

CXXXIV. Differentia 5. Secundùm leges judex sæcularis de hæresi  
cognoscere potest:

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## DIFFERENTIA 5.

Secundum leges iudex secularis de hæresi cognoscere potest: I. Quicumque,  
C. de hæret. iure Canonico autem solus episcopus vel inquisitor,  
c. Ut inquisitionis, de hæret. in 6.

I. **A**B Imperatoribus olim adversus hæreticos ac desertores fidei leges scriptas, iudicia & supplicia decreta esse ex Codice & Novellis notius est, quam ut in dubium vocari à quoquam, aut pluribus explicari debeat: idque summorum Pontificum nutu, & rogatu, quorum ea tempestate nondum confirmata vires contra Dei, & fidei hostes erant. Sibi autem cognitionem de rebus controversis, ac doctrina salutifera semper Ecclesiam vindicavit, serio, & districtè prohibens cunctis potestatibus, dominis, ac rectoribus temporalibus, eorumque officialibus, ne de crimine hæresis ullo modo cognoscant, aut judicent, c. Ut inquisitionis, de hæret. in 6. Nam hæresis crimen merè ecclesiasticum est, adeoque ab omni seculari foro ac iudicio remotum; nec committi à summo Pontifice alicui laico iudici potest, nisi delegatà simul jurisdictione spirituali, cuius nemo profanus capax est. Suarius in defens. fidei contra Angl. Regem l. 4. c. 2. n. 11. Barb. in c. Bene quidem, dist. 96.

II. Ordinarius igitur iudex, eorum, qui alienam ab orthodoxa fide, opinionem, aut religionem profitentur, episcopus quilibet in sua diocesi est, dele-

gatus verò inquisitor, ita ut hoc præfente non impediatur, aut prohibeatur formare processum episcopus. Neuter enim potestatem habet privativè, sed vel separatim, vel conjunctim exercere jurisdictionem suam possunt, c. Per hoc, de hæret. in 6. Si tamen separatim alter illorum agat, alteri communicare acta, & uterque concipere sententiam debet. Si contingat eos dissentire, causam cum sufficienti instructione ad sedem Apostolicam remittere jubentur. Ita Director. Inquisitor. Part. 3. c. de form. ex test. Castro adv. hæres. l. 1. c. 23. Simanca de Cathol. instit. tit. 25. c. 4. n. 39. Bonac. Tom. 3. de inquisitor. q. 2. punct. 13. Piasec. in Praxi episc. Part. 2. c. 4. n. 39. Zerola Part. 1. v. Hæretici, & Part. 2. eod. Moscon. de Maieft. eccles. l. 1. c. 11. Franc. Leo in thes. eccles. Part. 3. c. 37. Bellarm. l. 1. de Pontif. c. 1. Silvest. v. Inquisitio. Denig. Barb. in c. Per hoc, de hæret. in 6. ubi

notat, Inquisitores hodie propter amplitudinem potestatis Ordinarios vocari posse.

\* \*

\* \*